



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 120. Vere & tu ex illis es. v. 75.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

cohortis militum, aliorumque virorum ac mulierum, & tam aperte negare Christum, e contra & ancilla Petrum agitare & molestare verbis & cachinnis intendunt undique & milites, juvenes & senes circumstant Petrum magisque interrogant de Christo magistro suo, discipulis, doctrina, captivis, aliisque, etiam percussione Petri & Malchi auricula ludificantes ita ut potuerit dicere Petrus, quod de Magistro suo dixit David: circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. zizania naturalia nocent tritico, idque ad terram detrahunt, sic hac mulier trahit quodammodo Petrum ad terram, hoc est, ad sui oblivionem omnimodam & peccata, ut non solum ad eius interrogationem neget Dominum, sed & ut inducatur coram omnibus, cum juramento & detestatione negare: vide anima mea, quam sint noxia pravorum hominum colloquia, ipsa quippe coegerunt Petrum negare dominum, quem prius confessus fuerat esse Dei filium. Et quis aestimare poterit angustiam cordis viri senis, dum circumdaretur tot armatis viris, & ludificaretur, imaginor ipsum quasi perditum & exanimem & sideratum steterisse in atrio nescientem quid diceret, quis non compassione tangatur?

Certe Domine Iesu compatior bono seni stanti coram iis quorum peccata ira fervebant, quorum animus invidia, & os maledictione & malitia abundabat, & fraudes moliebantur quid mirum quod in tantum consternatus bonus senex toties ceciderit. Verum Dei benignitas ea omnia vertit in bonum publicum. quanti peccatores Petri respicientia animantur? & sane cum constituisset Dominus ut fundamentum ille esset Ecclesiae, ideo in imum fundi sui eum delabi permisit, ubi fragilitatem nilque posse suum perspicue cognosceret, & sentiret. Necessse etiam erat, ut caput aegre haberet, propriamque experiretur infirmitatem, quo quaelibet membra infirma misericorditer ferre disceret, iam non sepius sed 77. peccantibus veniam daret, utque per hoc, quod ipse passus est compati disceret, & gratiam sibi a Christo factam cunctis converti volentibus peccatoribus impertiretur.

Domine Iesu cordium inspector & renum, mihi quoque hanc gratiam largire, ut nunquam accurram ad malum faciendum vel ad confundendum proximum, minus vero, ut inveniar inter consortia mala, quibus stimularus mei obliviscar in tantum, ut peccare velim, sed in patientia vel sustineam ludibria pro te, vel prudenter fugiam societatem malam per quam separandus essem a te

§. 120. Vere & tu ex illis es. v. 75.

Ubi Petrus audivit a circumstantibus, quod ipsum noscerent & asseverarent dicentes: vere & tu ex illis es. credo quod, ante vix tibi praesens erat, & tunc iam plane consternatus fuerit, dum advertit quod sibi velint demonstrare ipsum esse, mendacem, vel quasi inscientem sui ad mentem unanimi-

ter revocare. Vide, anima mea, quo diutius persistit Petrus apud malam societatem, eo gravius tentatur, antea ab ancilla & ancilla, modo turba tota circumdante eum in atrio: sic quo, quis diutius persistit in occasione mala, eo gravius tentabitur, & gravius delinquet, nisi assimiletur *Caprea binnuloque cervorum, super montes aromatum, super montes Bethel.*

Hujus rei testis est mea quoque conscientia o Jesu, quo enim diutius permansi cum malis & in peccati occasione eo sæpius peccavi & gravius, pro dolor: sed quia Petrus se ipsum tibi totum antea resignarat, corque illius & intentio recta & vera perseverabant erga te Domine, tua etiam gratia, casus hic non fuit illi ad damnationem sed medicina potius, eadem operante gratia conversionem & fletum. Ita Domine fiat mihi, ut qui tibi me ipsum devovi à puero semper, & mea non sit mihi reatus meus ad pœnam, sed occasio salutaris ad veniam, infirmitas mea sit causa & materia memet magis humiliandi cum Petro, ad te revertendi magis magisque amandi & ad hærendi in vitam æternam.

§. 121. *Nam & loquela te manifestum facit. v. 73.*

Argumento utuntur ad hominem quo Petrum arguant mendacij, & deducant ad confessionem Domini sui & veritatis, dicunt enim loquela te manifestum facit, nam & Galilæus es seu idiotismo & accentu Galilææ Provincie uteris. Hoc erat argumentum militum & ministrorum, quo Petrus oppugnabatur, quod licet non sit tale ut inde concludere liceat, ergo Galilæus es & consequenter etiam male concludat, ergo Christi discipulus es, quia multi Galilæi discipuli Christi non fuere: tamen argumento hoc victus est Petrus & plane deiectus, & convictus, quia in Petro verum concludebatur argumento falso, nam & Galilæus erat, & discipulus Christi quod argumentum cum non posset conscientia victus refellere, cepit iurare & detestari, quia non novisset hominem Jesum: o miseriam humanam, si tanta infirmitas non stabilietur Dei gratia. Scio quosdam pio affectu erga Apostolum Petrum locum hunc ita interpretari, ut dicant, Petrum hominem negasse, non Deum, sed hi exultationem querunt in manifesto peccato, si ve enim hominem, si ve Deum negaverit, certe personam negavit, quæ & homo erat & Deus.

Quam bonum est veritati nunquam resistere, incundum sed candide causam defensione cessare. *Fruitus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate. Ephes. 4.* & quia Petrus non mansit in veritate ideo nec in professione veræ fidei & bonitatis & iustitiæ permansit, quod tanto cum dolore postea plangere debuit diebus vitæ suæ: ergo Iesu pie qui es ipsa veritas da mihi gratiam ut maneam semper in veritate, sic manebo in luce veræ fidei bonitatis & iustitiæ, & postea *habitabo in tabernaculis tuis, teste Prophet. ps. 14.* §. 122.